

*Slingesbei.* pferunt, à quibus orti sunt *Slingesbei*, qui hanc *Forrestariam* ab Edwardo Tertio acceperunt, & ad hunc usque diem hic clarent. Hæc *Nidus* prætervectus, non procul ab *Allerton*, sede Equestris familiæ antiquæ sane, & celebris *Malliverorum*, qui in antiquis scriptis *Malii Leporarii* dicuntur, post breve iter *Ouseam* obvium undis suis adauget.

*Vre.* Vre autem ex his Occiduis item montibus, sed in altera regionis parte, scilicet in *Northriding* emanans, cum hoc nomine Septentrionalem agri partem irrigarit, paulo antequam ad *Rippon* per venit, fit limes inter Septentrionalem & Occidentalem hujus provinciæ partem. *Rippon* vero illud, Saxonice *hƿippun*, inter *Vrum* & *Skell* fluvialum locatum, religioni suam dignitatem debet, in primis monasterio à Wilfrido Eboracensi Archiepiscopo, in primitiva Anglorum ecclesia constructo, miro, ut inquit Malmesburiensis, *fornicum inflexu, lapidum tabulatu, porticumque anfractu*, quod postea Dani, cum nec divinis, nec humanis præ impotenti rabie parcerent, una cum oppido exciderunt. Denuo tamen instauratum floruit opera Odonis Archiepiscopi Cantuariensis, qui maximus mystagogus Wilfridi reliquias hinc Cantuariam transtulit. Sed à Normannico imperio potissimum viguit, cum, ut inquit ille, monachorum castra copiosius extrui coepissent, tunc enim & oppidum sub suo magistratu, quem antiquo Saxonico vocabulo *Wakeman*, quasi *Excubitorum* vocant, & lanificii industria, quæ hodie valde remissa est, inclaruit; & monasterium sub Eboracensem Præsulum tutela mirum in modum florere cœpit. Templumque sane per elegans uobilium vicinorum, & sui Thesaurarii impensis positum, quod tribus excelsis pyramidibus, & aduentientibus quasi gratulatur, atque *Fontibus* opulento coenobio à Thurstino Eboracensi Archipræsule in conspectu fundato æmularatur. Ad alteram hujus Templi partem Cantorum Collegium ab Henrico Both Archiepiscopo Eboracensi constructum vidimus: ab altera parte tumulum terreum satis grandem *Hilshow* dicunt, quem à Danis aggestum perhibent. In ipso templo avorum memoria Wilfridi acus celeberrima fuit, id erat angustum in cryptoporticus foramen quo mulierum pudicitia explorabatur, quæ enim castæ erant, facile transibant, quæ dubia fama, nescio quo miraculo constrictæ detinebantur. *Fontium* illi monasterio (*Fountains* nos vocamus, quod uberrimo agro amoenissime possum, & plumbi venas in proximo habet) originem dederunt duodecim monachi Eboracenses, qui cum astrixiore vita genere Deo inservire arderent, sua claustra deseruerunt. Quibus post multas molestarum messes hoc monasterium Thurstinus Archiepiscopus Eboracensis construxit. Horum non meminisse, nisi D. Bernardus eorum institutum tantopere in suis epistolis approbasset.

*Burrowbridge.* Vro non multo inferius adsidet exiguum oppidulum *Burrowbridge* appellatum, à ponte quo flumen jungitur, qui nunc pons è vivo saxe sublimis & eximus est; sublicium autem Edwardi Secundi tempore videtur fuisse. Legimus enim, cum Anglorum proceres Regem illum & Rempublicam agitarent, Humsredum de Bohun Herefordia Britannia.

diæ Comitem, dum per hunc transiret, ex rima à milite sub ponte latente, per inguina transossum fuisse. Iuxta hunc pontem ad Occasum in tribus diversis agellis, quatuor vastos lapides pyramidali forma, sed rudi admodum opera recta quasi linea positos vidimus. Duæ mediæ pyramides, quarum alteram sacra illa auri fames frustra nuper subvertit, fere contigæ erant, exteriore non magno, sed pari fere interstitio ab his utrinque distant. De his nihil aliud habeo quod dicam, nisi quod cum nonnullis existimem Romanorum fuisse trophyæ ad ipsam militarem viam erecta, quæ hac duxit. Vulgi enim fabellas, qui has *Cacodæmonum sagittas* vocat, quibus antiquas urbes confixerunt, libens omitto. Non tamen hoc omittam, quod plurimi, & illi quidem docti has non è vivo saxe, sed arena pura, calce, Chalchanto, cuius & granula iis inesse dicunt, & unctuoso aliquo compositas esse existimarint. Cujusmodi cisternas Romæ fuisse ex arena fossitia & vehementissima calce ita constructas meminit Plinius, ut lapides viderentur.

Magis ad Orientem ab hoc ponte *I S - V R I V M* *I s - u r i u m*. *BRIGANTIVM* urbs vetusta à præterfluente *Vro* nomine accepto olim floruit, sed multis retro seculis à fundamentis excisa. Viculus autem qui ejus loco emicuit, ad testandam vetustatem, *Ealdburg*, & *Aldborow*, id est, *Antiquus Burgus*, dicitur. Nam in ipsa urbis area restibiles sunt agri *row*. & pascua, vix quidem, ut vestigia ejus notari possint. Laboraret certe ipsa Annalium fides, ut hoc *I S - V R I V M* fuisse crederemus, nisi *Vrus* fluminis nomen, Romani nummi assidue eruti, & distantia, quam inter hoc & Eboracum interposuit Antoninus, fidem facerent. Ad *x v i* enim milliare Italicum hinc defluens *Vrus*, quem Saxones jam *Ouse* dixerunt, quod *Ouseburne* amniculum recepit, *E B O R A C V M* sive *E B V R A C V M* urbem interluit, quam Ptolemæus in libro *Magnæ Constructionis* secundo *BRIGANTIVM* vocat, si liber non sit corruptus, quod Brigantium caput esset. Ninnius *Caer Ebrauc*, Britanni *Caer Effroc*, Saxones *Euon-pic* & *Eorop-pic*, nos hodie *Yorke* dicimus. Historia Britannica à Rege Ebrauco conditore nominatum prodit; licet tamen mihi opinari, sine aliorum præjudicio, non aliunde *E B V R A C V M* deductum quam ab *Vro* flumine, ita ut sonet *Ad vel Secundum Vrum*: sic *E B V R O V I C E S* Galliæ ad *Eure* flumen, juxta *Eureux* in Normannia confederunt, sic *E B V R O N E S* Belgici prope *Ourt* flumen in dioecesi *Leodiensi*, & *E B L A N A* Hiberniæ *Lifny* flumen attingit. Vrbs hæc totius Angliæ secunda, hujus regionis pulcherrima, universæque Septentrionali parti, & præsidio, & ornamento est singulari. Amena, ampla, munita, ædificiis tam privatis, quam publicis exulta, opibus, civibusque referta, & Archiepiscopali sede præclara. *Vrus*, qui nunc *Ouse*, à Septentrionali parte in Meridiem placide delabens, ut dixi, intersecat, & quasi in duas urbes dividit, quæ lapideo ponte, qui inter alios vastissimum omnium quos vidi, fornicem habet, conjuguntur. Pars Occidentalis, quæ minus frequens est, mœni bus pulcherrimis, cum flu. quadrata facie cluditur, portaque una *Mikell-barre*, id est, *Porta magna*,

*Dives bolts.*

*Rippon.*

*Wake man.*

*S. Wilfrids needle.*

*Fountains.*